



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Item de Antichristo. xciii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

D. BVRCHARD. EPIS. VVORMA.

*De pœnis impiorum.* Cap. XCII.

*Ex dictis eiusdem.* **S**icut fasciculi lignorum ad combustionē similibus coligatur: ita in iudicii die similis culpæ reos suis similibus iungere, ut ex æquo pœna constringat quasi in fascia lumen, quos actio similes fecit in malum. Sicut vnuſquisque sanctus in futuro iudicio pro quantitate virtutum glorificabitur, ita & vnuſquisque impius pro qualitate facinorum condemnabitur. Nec deerit in supplicio futurus damnationis ordo. Sed iuxta qualitatem criminum, discrecio erit pœnarum, propheta firmante: De charorū quoq; suorum suppliciis, additur etiam pœna defunctis. Sicut apud inferos diuiti sermo prædicat euangelicus: sic pro augendo Iudei supplicio, dicit etiam Psalmus. Cōmoti mouentur filii eius, & mendicent. Impii ex hoc durius in iudicio puniendi sunt mentis dolore, ex quo visuri sunt iustos gloriae beatitudinem meruisse. Cumq; evidentibus est precipitandus diabolus, quando sub aspectu omnium honorum angelorum hominum, cum eis qui de patre eius erant, igne æterno mittendus est, dum sublatus fuerit diabolus ut dicetur: multi electi qui in corpore sunt inueniendi domino ad iudicium veniente, metu concutiendi sunt, videntes tali sententia impium esse punitum, quo terrore purgandi sunt: quia si quid eis ex corpore adhuc peccati remanserit, metu ipso quod diabolum damnari conspicunt purgabuntur. Hinc est quod ait Iob: Cūm sublatus fuerit, timebunt angeli, & exterriti purgabuntur. Multos posse perire ex eis in die iudicii, qui nunc electi esse videntur & sancti. Docente propheta: Vocavit dominus iudicium ad ignem, & deuorabit abyssum multam, & comedet partem domus. Pars quippe domus deuorabitur: quia illos etiam infernus absorbebit, qui nūc se in præceptis cœlestib⁹ gloriantur. De quibus & dominus dicit: Multi dicent mihi in illa die: Domine domine, nōne in nomine tuo prophetauimus? In nomine tuo dæmonia eieimus? virtutes multas fecimus? Tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos: Discedite à me qui opera mini iniquitatē, nescio qui es.

*De Antichristo.* Caput XCIII.

*Ex dictis eiusdem.* **O**mnis qui secundum professionis suæ normam, aut novi viuit, aut aliter docet, Antichristus est. Plerique autem sunt, qui Antichristi tempora non visuri sunt, & tamen in

membris Antichristi inueniēdi sunt. Antequā veniat Antichristus, multa membra eius præcesserūt, & prauæ actio-  
nis meritō caput propriū præuenerūt, secundum Apostoli  
sententiam, qui iam iniquitatis mysteriū operari illū affir-  
mat, etiam antequam reueletur. Magnitudo signorū faciet  
sub Antichristo, vt electi, si fieri potest, in errorē mittātur.  
Sed si electi: quomodo sunt in errorē mitendi? Ergo ibūt  
in errorē titubationis ad modicum pro multitudine pro-  
digiorum: nō tamen deiciendi sunt ab stabilitate sua, ter-  
rorum impulsu, atq; signorū. Vnde & ideo ponitur, si fieri  
potest: quia electi perire non possunt, sed citò resipiscētes  
cordis errorem religione coércebunt: scientes prædictum  
à domino esse, vt dum hoc fecerint aduersarii, nō contur-  
bentur sancti. Iam mira facturus est prodigia, & signa, dū  
venerit Antichristus: vt etiā electis quoddā cordis gigna-  
tur scrupulū, quod tam citò exuperet in illis ratio, pro qua  
scient in deceptione reprobōrū, & electorum probatione  
eadē fieri signa, in quo tēpore per patientiā glorioſi erunt  
sancti, nō per miracula, sicut sancti martyres fuerūt priorēs: illi enim & persecutores sustinuerunt, & faciētes pro-  
digia. Proinde & durius bellū sustinebunt: quia non solū  
contra persequētes, sed etiā contra miraculis coruscantes  
dimicaturi sunt. Grauius sub Antichristi temporib⁹ cōtra  
Ecclesiam deseruiet synagoga. quām in ipso aduētu salua-  
toris Christianos effet persecuta. Dum in martyres diabo-  
lus iam exercuerit magnā crudelitatem etiam ligatus: cru-  
delior tamē erit sub Antichristi temporibus, quādo etiam  
erit soluendus. Nam si tanta ligatus facere potuit, quanta  
solutus faciet? Quantò propinquius finem mūdi diabolus  
videt, tantò crudelius persecutiones exercet. Vt quia se cō  
tinuò damnandum conspicit, socios sibi multiplicet, cum  
quibus gehennæ ignis addicatur. Quantò breue tempus  
videt diabolus sibi restare, vt dānetur, tantò in magna per-  
secutionis ira mouetur, diuina iustitia permittente, vt glo-  
rificetur iusti, fōrdidentur iniqui: & vt diabolo durior cre-  
scat damnationis sententia.

Quod ante diem iudicij, etiam electi casuri sint in  
aduentu Antichristi. Cap. XCIIH.

Grego. in

**I**N DIE BVS eius stupebunt nouissimi, & primos in- suis moræ  
uadet horror. Tanta enim tūc cōtra iustos iniquitate lib⁹ dicit.

TT ii